



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Capitulare Bajuvariorum anni DCCLXXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

CAPITVLARE BAIVVARIORVM

Datum, ut conjectura est, Ratisbonæ anno Christi
DCCLXXXVIII.

Hæc sunt Capitula quæ Dominus Karolus serenissimus addere iussit.

INCIPIVNT CAPITVLA.

- | | |
|--|--|
| 1. D E banno Regis inrupto componendo. | 5. De compositione hominis denarialis. |
| 2. De tuitione Ecclesie, viduarum, orphanorum, & minus potentum. | 6. De his qui in Ecclesia manumissi sunt. |
| 3. De raptu & violentia & incendio infra patriam factis. | 7. De his qui per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi. |
| 4. De manitione in hostem. | 8. Vt Clericum alienum nemo recipiat sine consensu Episcopi sui. |

INCIPIVNT SVPRASCRIPTA CAPITVLA ET EORVM TEXTVS.

De banno Regis inrupto componendo.

I. VT bannum ipsius quilibet intruperit, componere debeat.

De tuitione Ecclesie, viduarum, orphanorum, & minus potentum.

II. Vt Ecclesia, vidua, orphani, vel minus potentes pacem rectam habeant. Et ubicunque fuerit infra, sexaginta solidis componatur.

De raptu & violentia & incendio infra patriam factis.

III. Vt raptum vel vis per collectam hominum & incendia infra patriam nemo facere præsumat. Et qui hoc commiserit, sexaginta solidos in bannum nostrum componat.

De manitione in hostem.

IV. Similiter & qui iussionem regiam in hoste bannitus intruperit.

De compositione hominis denarialis.

V. De denarialibus, ut si quis eos occiderit, Regi componantur.

De his qui in Ecclesia manumissi sunt.

VI. Similiter de his qui per chartam in Ecclesia juxta altare dimissi sunt liberi, cum quadraginta solidis Regi componantur.

De his qui per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi.

VII. Qui verò per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, ubi nullum patrocinium & defensionem non elegerint, similiter Regi componantur quadraginta solidis.

Vt Clericum alienum nemo recipiat sine consensu Episcopi sui.

VIII. Vt Clericum nemo recipere audeat sine consensu Episcopi sui. Et si eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipsius Episcopi fuerit, aliter non faciat, nisi eum ejus præsentia percrutandum, si dignus fuerit, deducat.

